Fragmentarium

NOMEN EIUS IOHANNEM

Deprecationem dicens exaudita est. Partum continuo promittit
uxoris; non quod ille qui pro populo oblaturus intrauerat
relictis uotis publicis pro accipiendis filiis orare potuerit
praesertim quia nemo orat quod se accepturum desperat; At deo autem
ille iam suae aetatis et infecundae coniugis memor nasci sibi filios
desperabat ut nec angelo hoc promittenti crederet; sed quod dicit;
Exaudita est deprecatio tua pro populi redemptione significat;
Quod uero adiungit et uxor tua pariet tibi filium eiusdem redemp
tionis ordinem pandit quod uidelicet natus Zachariae filius redempto
ri illius populi praeconando iter sit facturus; Singularis autem meriti
indicium datur quoties hominibus a deo uel inponitur nomen
~~uel inponitur nomen~~ uel mutatur; sic abram quia pater multarum
gentium erat abraham est uocatus. Sic iacob quia dominum uidit israhel appel
lari meruit; Sic iosias rex ob eximiae uirtutis culmen nominatur
a deo est multo antequam natus; Iohannes ergo interpretatur in quo est
gratia et domini gratia quo nomine declaratur primo parentibus eius
gratiam quibus decrepitis filius nasceretur esse donatum; Deinde ipsi
Iohanni qui magnus coram domino futurus et adhuc ex utero matris
spiritu sancto sit munere ditandus. Postremo etiam filiis israhel quos ad dominum
deum ipsorum erat conuersurus **ET ERIT GAUDIUM TIBI ET
EXULTATIO ET MULTI IN NATIUITATE EIUS GAUDEBUNT**

Merito pater gaudet quod talem in senecta natum uel talis gratiae
acceperit filium. Gaudent et aliqui, in auditum eternus regni caelestis
Euangelizaret ingressum. Et notandum quod nato praecursore multi
gaudent; Nato autem domino adnuntiat angelus gaudium magnum quod erit
omni populo. Quia uidelicet hic salutem multis praedicare. Ille omnibus
qui uellet aduenit donare; **ERIT ENIM MAGNUS CORAM DOMINO ET UI
NUM ET SICERAM NON BIBET ET SPIRITU SANCTO REPLEBITUR AD
HUC EX UTERO MATRIS SUAE**

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – [sine loco], codices restituti, Paris, BNF, Baluze 270, f. 124-131 + Paris, BNF, lat. 5288, f. 34-41, ParisBNFBaluze270_268_f126v – Bede's commentary on Luke (https://fragmentarium.ms/view/page/F-s74n/437/6534)